

suggestu diceret, quod nemo auditorum facile prægustasset, tum denique ne operis moles et pretium æquo plus excresceret.

Ad extremum, optime Lector, duo te rogare volo. Primum, ut ignoscas eos, qui subinde in typum irrepserunt lapsus, quos omnes evitare typographis impossibile, censori typi difficillimum est, tametsi Argus illi centoculatus foret.

Alterum est, ut si quid in his Concionibus minus a me expensum vel intellectum, minusve apposite dictum est, ignoscere et excusare velis: nemo omnibus horis sapuit: et mihi præter concionatoris munus, pastoris etiam incubuit. Quare si quid boni in hoc opere repereris, Deo, si quid erroris, mihi adscribe, qui homo sum; paratus ad S. Rom. Ecclesiæ aliorumque Doctorum arbitrium corrigi, et corrigere, si quid a veritate præsertim Catholica alienum a me scriptum foret (1).

(1) *Nota Editoris.* — Huic editioni, Lector benevole, secundum locum suum quamque concionem addidimus, quæ apud alias editiones, in silva nova seu auctuario invenitur.

R. P. MATTHIÆ FABRI,

E SOCIETATE JESU,

CONCIONUM PARS HYEMALIS,

IN QUA INSERUNTUR CONCIONES SILVÆ NOVÆ
SEU AUCTUARIÏ.

DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

EVANGELIUM, Luc. 21.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis. Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi. Nam virtutes cœlorum movebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube, cum potestate magna et majestate. His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam et omnes arbores: quum producant jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas. Ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

CONCIONES.

- | | |
|---|--------------------------------------|
| I. Quæ nos excitare debeant a somno peccatorum. | VIII. Indicia mundi jam senescentis. |
| II. Tribulationes morientium earumque remedia. | IX. Documenta Evangelii. |
| III. Prodróm, seu apparatus judicii extremi. | X. Mystera Evangelii. |

CONCIONES AUCTUARIÏ.

- | | |
|---|--|
| IV. Cur adventum Domini signa præcessura. | I. Dies judicii dies Christi. |
| V. Dies extremi judicii cur dies magna. | II. Dies judicii optabilis electio. |
| VI. Majestas et terror Christi venturi ad judicium. | III. Sententia damnationis fulmini similis. |
| VII. Qualis sit futurus Christi adventus ad judicium. | IV. Præsidia adversus fulmen judicii extremi. |
| | V. Dulces fructus ficus laudatæ, quæ est virtus. |

CONCIO I.

QUÆ NOS EXCITARE DEBEANT A SOMNO PECCATORUM.

- I. Somni vanitas. — II. Tempus gratiæ. — III. Hostium insidiæ. — IV. Propinquitas mercedis. — V. Præsens calamitas.

THEMA.

Hora est jam nos de somno surgere. Ad Roman. XIII.

Incipimus hodie, auditores, expectare Domi-

num nostrum brevi ad nos venturum, et propterea Ecclesia Mater nostra, ut a somno peccatorum dormientes excitet, et Christo obviam mittat velut virgines prudentes, clamorem ac strepitum edit illis S. Pauli verbis: *Fratres, hora est jam nos de somno surgere, quia propior est jam nostra salus.* Quibus verbis aliud non vult, quam quod Christus, Matth. IV. et Joan Baptista, Matth. III. oxordio suæ prædicationis.

voluerunt, videlicet: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum*: Quia enim hoc tempore conari omni modo debemus, ut Christus Dominus in die Nativitatis suæ nascatur in nobis novo et spirituali modo, novoque emolumento, necesse est ante omnia, ut a peccatorum somno prius evigilemus. Quemadmodum enim, cum in Bethlehem Augusti imp. tempore Christus nasceretur, ad illos solummodo perlatum est tanti gaudii nuntium, qui in ea regione erant vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum, Luc. II. sic etiamnum illi tantum venturæ Nativitas gaudium, et fructum poterunt percipere, qui abrupto peccatorum somno, in pœnitentia ac virtutum operibus vigilaverint. Hunc igitur in finem excitat nos Ecclesia verbis illis Apostoli: *Fratres, hora est*. Potuerunt sane verba hæc excutere peccati lethargum S. Augustini, qui, ut scribit ipse lib. VIII. Confess. c. ult. divina voce monitus, ut tolleret et legeret, cum fortuito aperuisset librum et incidisset in ea verba: *Non in comessionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitis, non in contentione et æmulatione; sed induimini Dominum Jesum Christum*; statim e somno peccatorum excitatus, in virum alterum mutatus est. Ecce vero hæc vox non queat excitare etiam peccatores alios? Audiamus igitur, qua ratione, quibus ictibus, et clamoribus hoc faciat Apostolus.

I. Somni lethiferi, de quo surgendum vult Apostolus, vanitas et periculum. Vanitatem vidit S. Chrysost. hom. LXII. ad popul. cum ait: *Nox præcessit, expergiscamur jam a somniis: etenim jucunda sunt præsentia, sed somnia nihilominus fallacia*. Somnus quietem quidem adfert homini, sed non delectationem, quia ejus suavitas a nemine percipitur: siquidem tunc omnes corporis et animæ vires sunt sopitæ, sola phantasia interdum operatur, quæ multoties mira somnians, proponit sibi dignitates, honores, opes, delicias, illisque quasi revera possessis delectatur: postquam vero evigilaverit homo, tunc videt merum somnium meramque illusionem fuisse quidquid paulo ante se possidere credidit. Talis est ex Apostoli sententia status peccatoris, in quo ratio superior, quæ attendere deberet ad æterna et spiritualia, consopita est. Ratio vero inferior, quæ attendit ad temporalia, sola vigilat, quæ quidem hic fluxis bonis ad tempus afficitur et delectatur, quasi veris et solidis: sed interim verius dormit et somniat; postquam enim aliquando evigilabit et æterna clare intuebitur, temporalia illa omnia vana et imaginaria fuisse intelliget; sola vero æterna, vera et solida esse bona. Voluit hoc demonstrare Philippus cognomento Bonus, Belgii princeps (refert Ma-

jol. tom. II. can. coll. 7.) qui stertentem aliquando in foro hominem sublatum in regiam secum abduxit; eumque regio lecto collocari, donec edormisset, posteroque die hominem more ducali splendide indutum ita tractari et honorari jussit, ac si jam ille dominus et princeps Belgii esset: circa vesperam vero rursus inebriatum vestibusque prioribus indutum, loco quo eum repererat, reposuit: qui postridie experrectus collatis rationibus omnibus somnium fuisse vitam illam ducalem, quam egerat, conclusit. Idem eveniet peccatoribus et mundi amatoribus, qui cum aliquando aperient oculos rationis superioris, et æterna conspicient, agnoscent se hic dormisse et somniasse: delicias, divitias et honores suos somnia fuisse et phantasmata. Audi Isaiam cap. XXIX. *Sicut somniat, inquit, esuriens, et comedit; cum autem fuerit expergefactus vacua est anima ejus: et sicut somniat sitiens et bibit, et postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sicut: sic omnes, qui dimicaverunt contra montem Sion*. Quod ad litteram quidem loquitur Propheta de Chaldæis et Babyloñis vel Romanis, quos prædicit non magis ditandos esse ex spoliis, quæ auferent ex Jerosolymis, quam ditetur somnians, etc. Idem tamen rectissime intelligitur de peccatoribus, qui et ipsi omnes præliantur contra montem Sion, et contra Deum sceleribus suis dimicant; hi enim dum possident opes et voluptates, beatos se existimant, putant se reges et principes, et sedere super nubes, omnesque alios homines repere in terra velut formicas, et nesciunt interim se esse cæcos, pauperes, et nudos, miseros et miserabiles; quemadmodum et episcopus Laodiceæ, qui dicebat: *Dives sum et locupletatus, nullius egeo, etc.* Apoc. II. Hanc autem veritatem demonstrabit illis aliquando superventura dies, cum iterum nudi reponentur in uterum matris suæ terræ, unde et nudi egressi sunt; ibi cum aperient oculos, manifeste cernent, brevissima et vanissima fuisse mundi solatia, juxta illud Psalm. LXXV. *Dormierunt somnum sum, et nihil invenerunt in manibus suis omnes viri divitiarum*.

Periculum hujus somni ex eo patet, quia per consuetudinem hominem terræ affigit. Cujus rei typus fuit Sisara, qui postquam lactis potu ad somnum invitatus est, et dormiit in terra, clavo tempora transfixus et terræ affixus est a Jafele, Jud. IV. Sic qui ad peccati somnum se componit dulcedine mundanorum bonorum illectus, brevi ita terræ affigitur clavo consuetudinis, ut surgere vix queat, interdum pereat, seque in inferno esse videat, antequam evigilet. Accidit sæpe ut quis æstuante sole subter arborem se projiciat, quo sub umbra

dormiat, sed ubi per horam unam alteramve dormivit, digressa paulisper umbra, radii solis caput ejus feriunt, et dolorem afferunt. Sic aliquando Jonas fecit sibi umbraculum subter unam hederam, quam Deus excitat super caput ejus, *Et lætatus est Jonas super hederam, lætitia magna*, ait Scriptura. Sed mox paravit Deus vermem in crastini diluculum, ut hederam arroderet: quæ et mox exaruit. Et cum ortus esset sol, præcepit Deus vento calido et urenti ut feriret caput Jonæ, qui vehementer ex hoc æstuans petivit animæ suæ ut moreretur, Jonæ, IV. Habemus hoc loco expressum peccatorum typum, qui quidem faciunt sibi umbraculum ex hederam bonorum temporalium quæ Deus illis concedit; sed dum sub umbra illa quiescunt et inordinate lætantur, subito adest vermis mortis a Deo præparatus, ut hederam erodat et vitam illis eripiat. Tunc experiuntur ventum urentem conscientia malæ, et vident se æstare in gehennæ incendio. Annon ita ad unguem venit epuloni illi, qui postquam dormisset aliquamdiu sub hac hederam, mortuus est et *Sepultus in inferno? Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, etc.* Ecce nunc tandem aperuit oculos, rationis scilicet superioris æterna considerantis, quæ prius dormiebat: et quid vidit? Abraham et electos a longe, ignem vero cruciantem prope et se ambientem undique. Atque ita qui prius excutere somnum et aperire oculos noluit, nunc tandem malo suo aperuit. *Eat nunc dives*, inquit S. Greg. I. 1, 18, mor. c. XII. *et acceptis rebus lumeat, seseque super cæteros extollat, gloriaturque se habere, quod proximus non habeat. Veniet quandoque tempus, ut evigilet, et tunc cognoscat, quam vacuum fuerit, quod in somno tenuerat*. Hæc Gregorius. Hora est igitur, fratres, de somno vitiorum surgere.

II. Adventus lucis, id est, Christi in carne, seu tempus gratiæ: siquidem jam aurora et diluculum, adeoque tempus surgendi advenit. Hoc vult Apostolus, cum ait: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit*. Quemadmodum aurora media est inter tenebras noctis et lucem meridiei, sic tempus gratiæ et Evangelii inter tenebras infidelitatis ac peccatorum, et lucem cœlestis gloriæ. *Nox est tempus ante Christum, dies est dies resurrectionis, aurora media est tempus Evangelii*, ait S. Greg. I. 29. moral. II. Ante Christum gentiles omnes in tenebris ambulabant; nesciebant enim quo tenderent, utrum ad mortem, an ad vitam. Ipse Aristoteles omnium philosophorum facile doctissimus, moriens dicebat: *Nescio quo vado*. q. d. nescio an corpore simul et anima moriar: et si anima non moriatur, nescio, quo pergat. Unde nec

poterant facile instituere vitam suam, cum nescirent viam sive qua iretur ad cœlum, sive qua ad inferos; ut illum quidam tenerent, hanc vero fugerent. Itaque obscurissimam illi habebant noctem. Patres veteris Testamenti in nocte fuerunt, non omnino obscura; siquidem prophetis luminibus, tamquam sideribus quibusdam illustrati fuerunt, sed tamen in umbra figurarum et expectatione futuræ lucis degebant, nec adeo dilucide viam cœli et viam perditionis egnoscebant; habuerunt etiam suas errorum tenebras in cæroniis, traditionibus, legis intellectu, etc. quia Lucem mundi, et viam Ducem ac Doctorem Christum nondum audierant. Unde Apostolo teste. I. Cor. X. *Omnes sub nube fuerunt*. Denique beati in cœlo, quasi in luce meridiana sunt, omniaque clarissime vident *Facie ad faciem*, ut ait Apost. Nos vero Christiani auroram quasi et diluculum habemus, quia lucem et ducem viæ Christum habemus, eoque ductore scimus, quo ambulandum sit ad cœlum: scimus etiam viam quæ ducit ad perditionem; etsi nondum videmus viæ terminum, Deum scilicet et gloriam, ad quam tendimus. Unde *Nos ex parte cognoscimus, et ex parte prophetamus*, ait Apostolus I. Cor. XIII. Itaque cum hora surgendi et aurorasit, tempus est jam nos de somno peccatorum surgere, quia aurora Evangelii jam advenit. *Nemo debet dormire solem cernens*, ait S. Chrysost. in hunc Apostoli locum, hom. LXII. ad populum. Quid non fecissent Gentiles, si lumen hoc habuissent? Patres veteris Testamenti a *Longe tantum aspicientes et saluantes* hanc lucem, quo magis ei appropinquabant, eo ardentiori studio ad omne genus probitatis virtutumque perfectionem aspirabant. Unde Ecclesia cum D. Thoma hodiernæ epistolæ adhortationem ex persona veterum Patrum dictam intelligit, quasi ipsi ad se mutuo dicerent: Par est jam nos de socordia somno excitari, atque in virtutem studiosius incumbere, quia propior est nostri Salvatoris adventus, quam olim. Quid igitur fecissent, si Christum attigissent? Condemnabant ergo stertentem in peccatis Christianum Judæi et gentiles.

Deinde noxium est vehementer tam præclaram operandi et lucrandi occasionem, qualis est lux, negligere, ut indicat Apostolus, cum ait: *Scientes tempus*, q. d. tempus breve est. Totum vero illud tempus, quo in peccatis persistis, perdis, et jacturam facis ingentium bonorum, quæ eo tempore comparare tibi posses. Cum opulenta civitas militibus diripienda traditur, et milites omnes summa festinatione domos penetrare, arcas reserare, auro atque argento, varia et pretiosa suppellectile se onerare student, si unus eorum militum illo ipso tempore

subter arborem se abjiceret ad somnum capiendum, dicens se spoliolum direptionem et prædam in aliud tempus differre, nonne cæteri milites eum stultum dicerent, et postea irriderent? Cum igitur hoc tam pretioso tempore regnum cælorum nobis diripiendum datum, a diebus Joan. Baptistæ, ut Dominus ait Matth. XI. vim patiat, et violenti rapiant illud, prudentesque omnes festinent cælestes illos thesauros rapere; quæ tua sapientia est, peccator, hoc tempus somno perdere? Neque solum hæc bona negligis, sed insuper debita pœnarum tibi auges, quæ omnino alicubi solves. Ut enim pecuniæ sub fenore acceptæ, nisi mature restituatur, quotidie debitum augent; sic et peccata, quæ non mox per pœnitentiam delentur, graviores pœnam merentur, et facile ad alia trabunt, unde usuræ pœnarum quotidie crescunt. Hora est igitur, etc.

III. Hostium nostrorum insidiæ. Horum alii intra nos sunt, peccata videlicet, quæ obsident conscientiam, et perpetuis quas bombardarum ictibus quatunt et exagitant, arguendo, condemnando, flagellando, quo supplicio in hac vita nullum atrocius esse videtur; nec alia via est tranquillandi hostes illos, nisi per pœnitentiam. Ad hos accedunt hostes externi, dæmones siquidem ipsi in vinculis retinent peccatorem, et nihil magis desiderant, quam ut e vitæ statione confestim expellatur, vel potestas sibi a Deo detur illum occidendi, ne aliquando iterum eis elabatur. O si cerneret peccator quales triumphos super ipso edant, quæ tripudia ducant, quam solertiam adhibeant, ut eum vinciant et perdant! Totus utique tremere et statim a somno exiliret. An nescimus quid evenit Samsoni? Postquam is a Dalila illectus (licet sciret Philisthæos sibi necem machinari) dormivit super genua ejus, mox Philisthæi ipsi infensissimi circumsteterunt, ut captum et ligatum abducerent. Ubi enim Dalila rasit ei caput, et per hoc ademit vires, cæpit eum abigere et a se repellere ac clamare: *Philistiim super te, Samson*. Quem mox apprehensum Philisthæi, erutisque oculis clausum in carcere, molam circumagere coegerunt. Jud. XVI. Ad eundem modum postquam peccator mundi illecebris irretitus dormit in peccatis, circumstant eum undique mali genii; et primo quidem spoliunt casarie virtutum, ac per consequens resistendi fortitudine, deinde excæcant et abducunt in gehennam. Et quam facile contingit, ut mundus illum repellat et ad mortuos efferat? Væ tibi tunc peccator, quia *Philistiim super te*: quorsum putas te abducent; nisi in carcerem gehennæ, ut ibi perpetuam pœnarum interminabilium circumagas molam? Utrumque hoc genus hostium insinuant nobis Apostolus in epist. hodierna, cum ait: *Abjicia-*

mus opera tenebrarum, et induamus arma lucis. Quid opera tenebrarum, nisi peccata? Ad quid arma lucis, nisi contra dæmonum insidias?

IV. Propinquitas mercedis promissæ, *Quia prope est jam nostra salus*: quo eodem argumento usus est Christus et Joannes, cum dixerunt: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum*. Appropinquavit autem primo, quia nunc post Christi adventum parum distamus a regno cælorum, et jam quasi fines patriæ nostræ in peregrinatione nostra attingimus, partim quia non plus absumus a regno cælorum, quam ab ipsa morte; siquidem cælum jam clave crucis Christi reseratum est, et si nihil purgandum restat, statim illuc evolare possumus, quod non potuimus cum olim credidimus, id est, non potuerunt illi Patres, qui Christi mortem præcesserunt, quorum alii centum, alii mille, alii plures annos in limbo expectare debebant; partim quia nunc non tandiu vivimus, quam olim veteres Patres, quorum aliquid ad nongentos et amplius vixerunt annos. Jam ergo, si filius ab externa natione in patriam revertens, alacrius procedit, et quasi novas vires sumit si equi licet fatigati currere incipiunt, cum stabulo suo appropinquant; necnon et lapides tanto celerius descendunt, quanto viciniore centro suo fiunt: si hæc, inquam, a natura sic comparata sunt; annon decet ut homines Christiani a somno et torpore peccati surgant, novasque vires sumant, tanto festinantius ad beatitudinem currendo, quanto eapropior est? Certe cæli cives qui ad patriam illam anhelabant, quo magis accedebant ad mortem, tanto instantius Deo serviebant et alacrius procedebant. Sed cur hoc argumentum non movet peccatorem? An quia ipse cæli civis non est, ideoque ad patriam illam non aspirat, sed mundi civis esse mavult? Ita vereor profecto; sed cum nemo civis mundi esse perpetuo queat, utrumque tandem perdet cælum et mundum: quemadmodum Judæi, qui ut ait S. Augustinus tr. XLIX. in Joannem *Temporalia perdere timuerunt* (quando videlicet dixerunt: *Venient Romani et tollent nostrum locum et gentem*) et vitam æternam non cogitaverunt, ac sic utrumque amiserunt. S. Gregorius I. V. moral. c. III. ait: *Qui thesaurum effodientes quærent, quanto fiunt viciniore ad finem, tanto se exhibent ardentiores*: prope est thesaurus absconditus in agro cæli, quem invenire per penitentiam potest peccator et brevi obtinere. Cur ergo non præ gaudio illius vadit et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum? Sed nimirum plerique fodiunt pro thesauro suo, non sursum sed deorsum. Fodiunt in terra, et in terra thesaurizant: inde fit ut erga cælestem thesaurum nihil afficiantur. Sed advertant illi, ne fodiunt ad infernum us-

que; non enim propior est salus justis, quam perditio peccatoribus. Quod si igitur eos non movet ad conversionem propinquitas thesauri cælestis, moveat saltem propinquitas gehennæ.

Secundo. Appropinquavit regnum cælorum et propior est jam nostra salus, quia nunc Dei gratia et misericordia, adeoque regnum Dei, quod Dei gratia emitur, liberalissime nobis offertur, ita ut Christus Luc. XVII. quærentibus regnum Dei, responderit: *Ecce regnum Dei intra vos est*, hoc est in manu et potestate vestra est; siquidem gratiam meam liberaliter vobis offero, quam si in vobis habueritis, habebitis etiam in vobis regnum Dei: propterea tempus novæ legis, tempus gratiæ vocatur, quod in eo liberalius gratia erogetur et facilius obtineatur: quemadmodum enim in fine nundinarum omnia communiter viliori emuntur pretio; ita et in hoc tempore novissimo. Hoc indicat Apostolus, cum ait: *Hoc scientes tempus* (in græco textu, opportunitatem). Quid ergo dubitas, o peccator, surgere a somno? Num quia Deum abnegasti? Atqui et Petrus abnegavit et ad gratiam rediit. Num quia hominem occidisti? Atqui latro etiam gratiam et paradysum apud Christum invenit. Num quia adulter fuisti? Atqui fuit etiam adultera mulier illa, quæ dicentem sibi Christum audivit: *Nec ego te condemnabo, vade et jam amplius noli peccare*. Joan. VIII. Num quia mammonæ addictus fuisti? At fuit etiam hujusmodi Matthæus et Zacchæus, ambo in filios et amicos a Christo recepti. An quia persecutor Ecclesiæ et blasphemus? Habes socium S. Paulum, qui et ipse talis cum fuisset, misericordiam consecutus est.

V. Præsentis temporis et futuri calamitas, in quem sensum intelligere possumus, quod Apostolus in hodierna epistola dixit: *Et hoc scientes tempus, quia hora est, etc.* Pueri cum virga solent excitari. Hoc medium adhiberi his temporibus a Deo ad nos excitandos quis non videt? Jeremiam prophetantem interrogabat Deus c. I. Jer. *Quid tu vides Jeremia?* Et ille: *Virgam vigilantem ego video*. Cui Dominus: *Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud*. Hoc est, juxta versionem Chaldæi: Vidisti regem Chaldæorum, quo utar ad castigandum populum meum; quia enim ipse dormit in sceleribus suis, vigilabo ego super illum et excitabo eum cum virga non dormiente. Quid agit aliud nunc nobiscum Deus? annon cernimus super nos vigilantem virgam belli, famis et pestis? Et cur hæc super nos vigilat; nisi quia nos dormimus? Dormiret utique illa si nos vigilaremus; quia vero dormimus, idcirco ipsa vigilat. Cum filius tardat e lecto surgere, ostendit ei pater virgam prope lectum excubantem; et puer exsilit e lecto, alioquin virgam non visurus tantum,

sed etiam sensurus. Multos jam populos in peccatis dormientes castigavit non ita pridem acriter Deus ut castigat etiamnum. Ostensa est tantum nobis hactenus hæc virga, sed quia adhuc dormimus et profundius indormimus, timeo ne brevi insiliat in dorsa nostra. Nemo sibi blandiatur, nemo se decipiat: non obdormiet virga ista, sed semper magis ac magis vigilabit, nisi vigilemus nos. Idcirco post virgæ visionem vidit mox Jeremias ollam succensam, hoc est, vindictam Dei graviores, quam medio Nabuchodonosore succendere et vastare decreverat Jerosolymam. Hunc igitur in modum, si ad virgæ castigationem nondum surgimus, timendum ne ollam furoris sui effundat in contumaces, eosque tandem præcipiet in vulcani ollam, quemadmodum fecit Theodorico regi apud S. Greg. I. IV. dialog. c. XXX. Hic enim cum Joannem Papam et Symmachum patricium iniquissime necasset, flagellatus primo est objugante conscientia, quando appositum est ad mensam grande piscis caput liante rictu; perterritus enim putabat se videre caput Symmachi occisi. Hinc mœrore occupatus in lectum concessit, et paulo post mortuus est, quem sanctus quidam et solitarius vir in insula Liparitana agens, vidit discinctum, et discalceatum, vinctisque manibus deduci et jactari in vulcani ollam, ignem continuum evomentem, apud Barron, anno 526. Quæ visio utique contigit propter impœnitentes, ut illius exemplo cautiore facti respiscant. Sane videtur hoc tempore infernus os suum aperire ad deglutendos impios, dum tot malis castigamur, nec inde tamen emendatur, sed cum Theodorico illo potius ad pristinum vitiorum lectum concedimus. Quid aliud igitur superest, nisi ut impœnitentes in ollam illam mergantur? Ac nisi per pœnitentiam eripiamus Deo virgam, væ nobis, quia non mentita est veritas dicens: *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, Luc. XIII. Evigilemus igitur, auditores, et cum pastoribus illis custodiamus vigiliis noctis, ut digni fiamus dominica visitatione. *Beatus ille servus, quem cum venerit dominus, invenerit vigilantem*.

CONCIO II.

TRIBULATIONES MORIENTIUM ET EARUM REMEDIA.

I. Spes longioris vitæ. — II. Timor judicii. — III. Amor erga res creatas. — IV. Dolor infirmitatis.

THEMA.

Erunt signa in sole, et luna, et in terris pressura gentium. Luc. 21.

Hodiernum Evangelium videbitur forsitan alicui ad nos nihil pertinere, eo quod de die judicii extremi solummodo loquatur. Sed isti